

Christianis hominibus convenire, & impias consuetudines graviter increpuit. Senior, adolescentis parens, ignorantiam excusavit; ceterum se ac filium in ipsius esse potestate; doceret, juberet, imperata facturos. Sacerdos vetuit ne canes interficerentur: saltatores importunos amandavit: epuli partem, quæ superstitionis habere nihil videbatur, permisit: in primis autem, ne deponeretur penitus ægroti cura prohibuit; imo suavit ut ad Gallorum domicilia, quamvis longè disjuncta, deportaretur; sperare se, favente Deo, futurum ut convalesceret. Benignè auditus est à Membertoo: delatus æger ad nos fuit, ridentibus, ac bolum tantum tam subito è faucibus ereptum sibi dolentibus veneficis, & circulatoribus, quorum sententiâ con-